

Friedrich Franz Ludwig Raspe

Officium erga patriam

Rostochii: Adler, 1818

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77029281X>

Druck Freier  Zugang





Officium erga Patriam

descripsit

F. L. F. R a s p e

~~~~~

-----  
Rostochii

Typis Adlerianis 1818.

UNIVERSITÄT ROSTOCK

---

Amplissimo Viro TADDELIO,

Civitatis Rostochiensis Syndico.

---

Quae mihi partes munificentia tua et liberalitate, ante haec paucos annos, impositae sunt, eas, pro virium mearum tenuitate, explevi; necessitate quidem adductus, ut qui fide interposita ad hoc faciendum obligatus tenebar, sed animo ex benignitate tua aliquanto majore. In hoc autem scribendi munere et studio, eo intentus fui, ut ne quid proferrem, vel argumento, vel enarratione a dignitate tua alienum. Itaque illam virtutem singulari disputatione excutiendam suscepi, quae a clarissimis viris, Abtio et Lessio, commendata, ad haec magnam nostra aetate opportunitatem esset habitura. Nam quum vitam domesticam eamque arctioribus quasi finibus circumscriptam transieris, reliqua fere illi officio patent, quo patriae tribuenda praefiniuntur: per se quidem amplissima

illa (non enim multum a lege civili occupantur) sed ea tem-  
pestate, quae maximas vidit rerum conversiones, majoris  
etiam momenti futura. De enarratione autem, sic in ea, quam  
dixi, materia sum versatus, ut antiqua magis illustrando, quam  
nova excogitando progrederer: satis habens, si hoc mihi  
contigisset, ut, retenta brevitate, nihil magnopere, quod quidem  
ad rem pertineret, omissum reperiretur. Quodsi ex his illud  
tempus, a te mihi ad litteras perdiscendas suppeditatum,  
sedulo collocasse existimabor, (nihil enim est, quod praeterea  
mihi adsumam) atque in eo gratus et meritorum erga me  
tuorum haud immemor inveniar: ob eam rem operae mihi  
pretium fecisse videbor.

§. 1.

*De notione patriae.*

**P**atriae vocabulum duplici sensu adhiberi solet. Primo quidem, solum in quo quisque natus est, intelligi volunt, quia vocis natura hoc sibi vindicet, ut patria pro *terra parentis* dicta esse censeatur. Altero, *illorum, qui eandem cum patre terram incolant*, maximam rationem habendam esse existimant: usum loquendi secum facere adfirmantes, qui non tam a solo natali, quam a parentibus, ad quos quisque originem suam referat, notionem patriae petendam esse declaret: neque a navi potius et peregrina terra, in qua quisque, parentibus iter facientibus, natus sit, quam a parentum stirpe patriae denominationem fieri patiatur. In quo ipso plurimum interesse disputant, ubi quis educatus sit. Nam quum natales tantum faciant ad censendam uniuscujusque patriam, subintelligi, a quibus quis ortus sit, ab iis vitae et morum praeceptis institutum fore: quod si minus eveniat, ne parentum quidem genus et stirpem constituendae patriae servire. Totum enim illud nascendi tempus in obscuro jacere, nec quidquam memoriae ad reliquum vitae cursum relinquere: ad quem dirigendum quidquid valeat, omne educationi et consuetudini tribuendum esse. Nobis autem, qui officium exquirendum suscepimus, nihil cum illis commune est, qui patriam ex locorum situ et ingenio judicandam esse censeant. Neque enim, si qui patriae dulcedine percussi, aegram in externis regionibus vitam traxerunt, et propecta saepenumero actate dilectissimas illas sedes, quibus adolescentes sunt oblectati, ante obitum adspicere, in iisque morte contumulari desiderarunt: his concedendum est, pie se hoc et merito fecisse. Qui impetu et animi perturbatione ferebantur,



haudquaquam de virtute cogitabant: cui quidem in inanibus et sensu carentibus locum non esse, paulo post, describendis officiorum principiis, indicabimus. Ex quo patria nobis erit *coetus quidam hominum, sermone, moribus, legibus ab alienae originis hominibus disjunctorum*. Si enim sermonis tanta differentia est, ut nullo cognationis vinculo haec maxime lingua cum reliquis linguis cohaereat: si vivendi sentiendique ratione alius ab alio populus longissimo quasi intervallo sejunctus est: si omnes iisdem legibus moderantur, et eadem utuntur reip. forma, tanta fit certae celebrationis hominum, a reliquorum hominum collectionibus discrepantia, ut suis institutis et moribus plus, quam confiniis distinguatur locorum. Sed tamen maxima vis in descripta reip. forma est: quae semel instituta, ad eam consiliorum rationumque communitatem homines conciliat, quae cum reliquis ejusdem indolis non intercedat hominibus. Quid ergo sic popularibus et civibustribuendum in officio sit, hac disputatione nostra explicandum est: quae ne stabilibus, et ad rem confirmandam aptis egeat argumentis, altius quaedam repetenda videntur.

Puffendorf de obligatione erga patriam. §. 1—5.

Montesquieu de l'esprit des lois. Tom. I. L. V. chap. 3.

Cf. Numeri 2, 11. Odyss. V, 135. 136. Lysiae orat. funebr.

§. 16. Cic. Legg. II. 2. Nep. IX, 2, 4. X, 4.

## §. 2.

### *De forma officiorum.*

Res externae quum valentissimae sint ad homines in utramque partem permovendos, tamen ad officii inventionem ab his ipsis locum relinqui, vel maxime patet ex animorum natura. Quod enim voluntatis libertate sublata evenire non posset; animus nonnulla a se acta, ut hominum excellentia non indigna, adprobat: alia, quae ab humana dignitate essent aliena, damnat. Hanc vero animi indolem conscientiam recti et pravi vocamus. Conscientiae quidem vis est, hunc rerum

delectum, ab omni sensuum permotione liberum, ut naturae congruentem, ita rectum judicandi: cupiditates finem in rebus gerendis et modum transeuntes, cum peccantium acerbitate vituperandi. Ita fit, ut nonnulla, quae a magistratibus liberantur, in ipsius hominis iudicium veniant, et si quis a iudice securus vitam transigat se ipse non fugiat. Ad haec legis naturalis decreta omnem vitam instituere, absolutae virtutis cumulataeque est. Quae tamen in hanc mortaliū imbecillitatem minime cadit, sed mentis divinae est adtributum: in quibus ipsis praeclare agitur, si alterum inchoatae et non expletae virtutis genus consequuti sunt. Est enim non perfectae virtutis, singulis recte faciendis, quam proxime ad legum naturalium finem accedere: perfecta virtus una est, omnemque plane errandi labendique licentiam praecidit. Nihil hominum vita majus aut magnificentius virtute habet: qua sublata omnino vita ex vita tollitur. Igitur per se expetenda virtus, omnesque hominum actiones ex eadem instituendae sunt; voluptatum cupido quamvis repugnare videatur. Nam quum voluptates in quaerendis opibus et rerum copia obtemperari sibi postulent, ex illo, quod diximus, principio naturae adparet, his modo commodis, quae salva virtute retineri possunt, operam navandam esse, a reliquis, ut humanae naturae praestantia indignis, esse refugiendum.

His ita explicatis definiendum erit, quid sit id, quod omni virtuti ad persequendum propositum est, quo effecto nihil praeterea desideretur. Hoc numero esse, formulam quandam adhibentes, contendunt, quodcumque ita sit compactum, ut cum rationis decretis congruat; quae quidem subsequenter prorsus habeat conscientiam. Quod praetermissum, ut voluntarium, ita flagitiosum est, ut auctores obnoxios et punitione dignos efficiat: quae si minus a magistratu et iudice adhibeatur, tamen a conscientia manet. Recte autem et naturae congruenter factum, etiamsi nobilitatum non sit, per se ipsum laudabile est, et uberrimis fructibus ad vitae redundat honestatem. Ex quo magis adparet, officium quid sit. Nam

quam legem illam naturalem summam rerum humanarum moderatricem esse, in qua vel consequenda laus, vel praetermittenda turpitudine sita esset, concessum sit: inde consequitur, obligationem quandam ad finem hujus rationis adsequendum intercedere, vel a nobismet ipsis, vel a ceteris, eidem legi naturali subjectis, quae quidem obligatio *officium* vocatur.

In his vero animadvertendum est, quaedam praeter officium commissa, ad eam omnium perniciem spectare, ut a legibus populorum ac magistratibus plectantur: quae tota ratio jurisconsultorum est, neque ex ulla parte disciplinam attingit moralem. Nec vero officiorum doctrina quidquam ex illa arte adsumit, quae pulchritudinem naturalem in dictis, atque in opera effectis pervidere docet: quae quum studium honestatis non minimum adjuvat, tamen a laude boni viri et improbatione mali quam longissime abest.

Kant's Tugendlehre. S. 2. 21.

Lange's System der theologischen Moral. S. 90 — 96. 115.

Doutervcks Aesthetik. Th. 1. S. 12 u. f. w.

§. 3.

*De distributione, vicissitudine, materia et gradu officiorum.*

Adhuc officii formam descripsimus: sequitur, ut haec genera officiorum, quibus universe virtutis doctrina cernitur, ad intelligentiam patefaciamus. Existit autem officiorum generalis partitio ex obligatione illa, quae ratione utentium cuilibet cum ceteris ratione utentibus ad officia intercedit tribuenda: in quo et ipso vicissitudo inest. Atque vicissitudo quidem officiorum inde enascitur, quod illa lex naturalis, quae in nostro animo insita ad sui reverentiam deducit, eadem in aliis deprehensa maxima nos percellit verecundia.

Quod ipsum sic magis adparebit. Omnino duo sunt genera (ne ulterius exspatiemur) ratione praedictorum, unum Dei, alterum hominum. Deus, qui perfecta ratione utatur, summa nobis veneratione adorandus, et propter immensa

quaedam in homines allata beneficia gratissimo animo colendus est: ipse obligationis expers, quia errandi labendique est nescius (*Vogels Compendium der Christlichen Moral*, S. 116 *Ann. I.*) Homines autem hominibus ad officiorum vicissitudinem dupliciter sunt obligati: primum, ob communem omnibus rationem, conscientiam autem recti et pravi; ex quo reverentia in vitae humanae consortes enascitur, quae quidem gratum animum, veritatem, et quae sunt generis ejusdem, tanquam partes complectitur. Deinde principiis illis naturae, pietate, sermonum et consiliorum communitate homines inter se ad vitae societatem conjuncti sunt; unde benevolentia erga genus humanum existit, quae item mansuetudine, beneficentia, aliis, concluditur. Cum illis vero, quibus mens et ratio addita non est, nulla intercedit officiorum vicissitudo: tantum enim moventur, quantum sensu et adpetitu feruntur, neque, quid verum rectumque in actionibus sit, perspicere queunt: de quibus hoc praecipendum videtur, modice et rationi convenienter iis utendum esse.

Officiorum autem vel nobismet ipsis, vel reliquis hominibus tribuendorum, illa suum cujusque animum et noscendum et recte adficiendum, post corporis curam exercitationemque, tanquam materiam habent, quam tractent: haec vero bipartita et ipsa, alienam tum animi, tum corporis salutem adjuvandam praecipiant.

Sed quum fieri possit, ut singula genera officiorum inter se pugnare videantur: praeterea tenendum erit, quo unumquodque momento valeat. Primum igitur officia erga Deum ceteris anteposenda sunt, quia ab ipso lex naturalis animo nostro indita est. Sequuntur officia ab unoquoque sibi ipsi praestanda. Adparet enim, de officiis in alios conferendis tum demum recte cogitari, quum, nostra salute stabilita, eas facultates et copias recepimus, quibus confirmati majores quasdam utilitates in medium adferre possimus.

Kants Tugendlehre. S. 116. 180.

B

Lange's System der theologischen Moral. S. 125. 269.  
 Vogels Compendium der Christlichen Moral. S. 126.

## §. 4.

*Obligationis erga patriam origo.*

His ita expositis, aditus patet ad officium erga patriam inveniendum. Nam quum intellectum sit, humanum genus nos universe ad officiorum mutuacionem adstringere, civium consociationi peculiare quid in officio tribuendum esse, conveniet.

His vero occurritur a quibusdam dicentibus: angusti animi esse in explendis officiis partes sequi, et non simul universum genus hominum officiis distribuendis complecti. Tam enim externos quam cives humanitatis jure nobiscum conjunctos esse: quorum qui delectum habeat, ei necessum esse fateri, se praeter virtutem aliquid sequi. Qui tamen in eo, quod societatis humanae maxime rationem ducendam esse contendunt, ipsi se erroris convincunt. Nam si qui, generis humani jure universo ea officia extingui volunt, quae civibus proprie sint tribuenda: hi omnino hominum inter homines societatem dissolvunt. Quod haec argumentatio magis declarabit. Quoniam non vivitur cum perfectis hominibus, et libidinis explendae cupiditatem post virtutis studium habentibus (cf. §. 2.) sed cum illis, in quibus praeclare agitur, si rerumpublicarum institutis et legibus ad vitae honestatem et temperantiam efformantur: et antiquissimis temporibus reip. constituendae et postmodum ejusdem tuendae inventa necessitas est. Quod enim tanta cura ad animi integritatem et vitae innocentiam adhibetur, quanta nunc est, hoc totum illi consilio debetur, quo republicae institutae sunt: quibus sublatis cuncta permiscerentur, et improbis in bonos arbitrium esset. Haec igitur tam salutaris tamque necessaria reip. institutio, qui evenire, vel etiam cogitatione comprehendi possit, nisi universo genere hominum in singulas collectiones dispartito?

Nihil enim dicunt, qui de via aberrantes, universum genus hominum in unius reip. formam redigendum postulent. Quid enim illud portentum civitatis, quae per totum orbem terrarum diffusa, neque a principe regi, neque ob molis suae tarditatem punctum temporis consistere possit? In quam partem fusius disputatum est. §. 8. Itaque, si quis in humana societate tuenda, naturam ducem sequi velit, huic summa cura in singulis civitatibus ornandis et augendis collocanda est.

Quod vero singularum gentium commodis inservientes, patriam deligamus, cujus rationibus potissimum provideamus: gratia et beneficiorum memoria impellimur, quo quidem nullum officium magis necessarium est (cf. §. 12.) Maxima enim bona sunt, quae patriae accepta referamus: in qua nascentes primum vitalem auram hausimus, multa progressu temporis fortunae et animi bona adepti sumus, familiaritates contraximus, in qua denique supremo die illacrymantes nobis habemus. Quae etsi commoda ab humano genere primitus utenda accepimus: tamen ut his frui queamus, patriae beneficium est. Ex quo intellectum puto, nihil magis in officio esse, quam in patriam utilitates, quantas maximas possimus, conferre. Quamquam hoc non simpliciter enunciari debet: cautio quaedam adhibenda est.

Emile par Rousseau. Tom. II. p. 147. Nep. XIII. 4

Somn. Scip. *Sic habeto, omnibus, qui patriam conservaverint, adjuverint, auxerint, certum esse in coelo definitum locum, ubi beati aevi sempiterno fruuntur.*

### §. 5.

#### *Officii erga patriam in contentione locus.*

Potest enim addubitari, an commoda, parentibus, propinquis, amicis allata, aptiora sint naturae officiis patriae tribuendis. Ejusmodi dubitationem qui simpliciter inferunt, iis disputandum est de publica salute omnium, deque privata singulorum. - Nemo autem, si quidem benevolentiae erga ho-

mines suscipiendae et pietati aliquid tribuet, privatorum angustiis prius subveniendum iudicabit, quam patriae calamitati. Facultates enim et copiae non tam a singulis in civitatem redundant, quam a civitate in singulos. Qua florente facile singularibus civium necessitatibus prospicitur: male autem constituta, quamvis maximae singulorum opes dilabuntur. Ex quo elucet, patriae plus tribuendum esse, quam parentum et amicorum utilitatibus. Sic nobilissimum Bruti majoris factum esse invenitur, qui, quum reip. integritas ageretur, et legum efficacia, filios suos ad supplicium trahi, quam patriam everti maluit. Alia quaestio intervenit: officium erga patriam majus sit illo erga genus humanum officio, nec ne. In quo non dubium est, quin communis hominum societas, ex quo tanquam fonte ceterae hominum celebritates profluxerunt, omni pondere gravior habenda sit, quam illa in arctius contracta civium consociatio. Etenim si quis, communi hominum emolumento, cum illo peculiari civium commodo dissentiente, patriam potissimum sublevandam esse existimet: is causam dicere nequeat, quin hominibus ad officia tribuenda omnino obligati non simus. Ut enim non repugnante natura ab humanae societatis commodo recedere liceat: perspicuum sit eorum, qui ab illa comprehenduntur, usus, illaeso officio, posse relinqui. Igitur officium praetermiserunt Hispani, aut si qui praeterea populi recentiores in Americanos et Indios crudelia statuerunt, civibus ut majores facultates et copias pararent. Sed animadvertendum est, mutatis temporibus mutari officium, nec semper esse idem. Nam quum leve commodum universo hominum generi possis parare, ex quo maximum incommodum patriae, aut arctiore necessitudinis vinculo tecum conjunctis eveniat, non sit contra officium majus anteponi minori. Itemque si exiguas quasdam utilitates, maximo necessariorum detrimento, in patriam possis conferre, nihil natura intercedat, quo minus parentum et amicorum commoda patriae praeponas incommodis. Siquidem reverentia erga genus humanum adhibenda, (cf. §. 12.) illa, quae in officiorum conse-

questionem statuatur, his quasi limitibus cogit circumscribere.

Wogel's Compendium der Moral. S. 127.  
Sophocl. Antig. V. 182. 183.

§. 6.

*Mosaicae et Christianae disciplinae de officio erga patriam et genus humanum decreta ad certum intelligentiae finem revocantur.*

Antiquissimis temporibus omnis morum disciplina proprie ad homines ejusdem gentis spectabat: cum peregrinis nulla fere intercedebant officia, nisi quae ex pactorum conventorumque fide, et ex hospitii jure fluxerunt. Accepimus enim, qui in civitatem admissus non fuerit, eum a priscis Romanis hostem adpellatum esse: βαρβαρος autem denominationem ignominia Graecis non caruisse notissimum est. Major etiam in Aegyptiis solitudo fuit; qui non magis civitatis suae legibus, quam praepudicata quadam et in vulgus recepta opinione peregrinos advenientes a finibus suis arcebant. Ad quorum Judaei ita se adjunxerunt sententiam, ut a Mose, summo ejus gentis legislatore, praeter hospitalitatem et rerum contractarum fidem de externis populis nihil in officio decretum sit (Gen. 18, 1-9. Ex. 22, 2 cf. Dent. 20, 17.) sed potius omnia humanitatis et clementiae praecepta ad popularem rationem sint descripta. Id quod maxime intelligitur ex Lev. 19, 18, ubi Dathius vertens: *Ne vindictae cupidi sitis, nec injuriae ab aliis acceptae memores, amate vos invicem*, scriptoris sententiam parum adsequutus esse videtur. Ut enim verba verbis reddamus, haec interpretatio propius ad sensum auctoris accedat: *Ne vindictae cupidus sis, neque iram in filios populi tui extrahas: amabis socium sicut te ipse*. Jam satis adparet עַמִּי עִשְׂתָּהּ de civibus dictum esse. Pari autem significatione vocabulum רֵעִי adpositum esse, quum ex eo intelligitur, quod in utroque membro idem suppositum sit, tum vero etiam ex coll. I. Sam.



28, 17 evincitur. Quod vero hominibus suis finitimorum usu, lege civitatis, interdicebat, solennibus autem certum in patria locum constituebat: hoc sane eo consilio fecit, ut, humanitate minuta, patriae amor augetetur. Denique historiarum monumenta satis, hunc sibi Mosen in disciplina meditanda finem proposuisse, loquuntur. Tam diu enim, quam legibus Mosaicis honos suus constabat, omnes populi mores patriae amore inflammati erant. Neque ulla fuit gens, quae florentissimis civitatibus interjecta, magis ab alienorum consuetudine recesserit, quam Judaeorum natio: neque in ulla aut studia tuendae reip. magis floruerunt, aut majorum institutis tanto temporis spatio incolumitas sua constitit. Namque Samaria et Hierosolymis captis, quum Judaeorum opes eversae essent, tantum valuit Mosaica disciplina in tot tantisque cladibus defatigatis, ut suam ipsorum calamitatem non gravius ferrent, quam patriae interitum (Jes. 22, 4. Thren. 1, 5-6. 4, 12 seqq.) et, quod omni temporum memoria huic uni populo contigisse video, non prius quiescerent, quam de restituenda patria a potentissimo illo rege, in cujus regnum devenerant, et de reficienda urbe impetrarent.

Decursu temporis, quum ceterae gentes majorem profectum ad humanitatem ingenique culturam cepissent, Jesus, Mosaicam disciplinam in meliorem formam redigens, non ita peregrinorum consuetudinem hominibus suis fugiendam statuit, sed in eandem caritatis societatem, quae secundum legem Mosaicam Judaeis cum popularibus fuit, ceteras etiam gentes recipiendas praecepit. Si Moses, *ut ipse te amas, sic populares ama tuos*: Christus, *ut ipse te amas, sic omnes humanae naturae tecum consortes*. Deinde violentiam irae, qua adhuc legitime in hostes saevitum erat, e medio sustulit: eamque gravi et bono viro omnino indignam esse dixit. Nam, si quis, vel opinionis errore adductus, vel iracundia incitatus, ad injuriam nobis faciendam adgrederetur, nos in eodem fere vitio futuros, si, nulla justitiae obversante causa, accepti mali vicem redderemus, et in beneficiis vel inimicissimo tri-

buendis addubitaremus. Cf. Luc. 6. Postremo variam esse, ait, hominum conditionem et fortunam: alios inveniri opulentos, divites, alios tenues, egenos, miseros; hunc esse civem, illum natione externum: quos vero omnes uno humanitatis jure complectendos esse. Igitur, si in miserum aliquem incidas, ope destitutum, de eo non esse quaerendum, sitne civis, sitne gratiae referendae aptus, sed humanae naturae ratione habita, praesentissimo auxilio angustiis ejus subveniendum. Luc. 10, 29-37.

Jam, Servatorem humanitatis praecepta instituentem, non hoc sibi voluisse, probabile est, ut tales in peregrinos simus, quales in cives. Ultra enim probabilitatem, quae sane, dum ratione inventis pretium suum constabit, summa est, nobis per loca in N. T. obvia, non licet descendere. Nam quum Ipse populares suos delegit, quibus primum nuncium de salutari Dei gratia adferret, in incerto reliquit, utrum patriae amore commotus, an divinum de rerum factorumque ordine institutum conservans. Sed tamen Judaeis, propter veram religionem hucusque retentam, hoc quoque summum, aeterno Dei consilio, additum esse, unus locus declarat, qui primo adspectu contrarium loqui videtur. Nam quod sanctissimi viri, Paulus et Barnabas Act. 13, 46, publice contestantur, necessum se habuisse, qui civibus suis primum de salutari Dei gratia nuntium adferrent; quo tandem ab illis rejecto, ad externos converti: hoc, coll. Rom. 11, 11-21, ita explicandum est, ut minus patriae amore adducti, quam divinum consilium suspicientes, hunc ordinem servarint.

Cic. Off. I. 12. Nep. IX, 3. Herod. L. 2.

§. 7.

*De morte pro patria suscipienda.*

Hactenus ostendimus, quem locum in officiorum hominibus tribuendorum comparatione et quasi gradatione patriae

obtineat caritas. Sequitur, ut perspiciatur, si quando officia, tum patriae tum nobismet ipsis praestanda, dissentiant, quo in dignitatis loco eorum singula sint collocanda.

Officium ergo, quo nobismet ipsis obligamur, illi alienis tribuendo antecedit, si quidem commoda, quae inter se comparentur, ex aequo sint constituta (cf. §. 5.) Sic apparet, aliud esse rei familiaris partem tradere indigenti; aliud totam profundendo necessarios sibi vitae usus detrahere: neque, si quis pro defendendo altero vitam in discrimen conjecerit, in pari causa sit cum illo, qui prudens sciensque deposuerit. Quorum illud omnino ex ratione officii est; hoc vero ab honestis actionibus sic alienum, ut nihil officio magis esse possit contrarium. Atque hoc ipsum, supra a nobis tactum, hoc loco fusius repetendum videbatur: quia, si quis istam rationem minus bene perceperit, ei non liceat de morte pro patria subeunda probabiliter disputare.

Sed incidunt tamen tempora, ut vitam ipsam, non modo commoda leviora, hominum salutis causa, profundere et abjicere in officio sit. Atque hoc quidem accidit, quum, officiis ex impari loco constitutis, nostra commoda civium praeponderantur commoditatibus. Reverentia enim erga humanum genus universe, proprio autem gratiae referendae necessitas, hoc cogit, ut multis, quum par sit uniuscujusque ratio, plus tribuatur in officio, quam vel paucis vel uni: in quo tamen eorum, quibus Deo obligamur, officiorum exceptio est (cf. §. 5. 12.). Itaque si civium commoda aut paria aut leviora, conjuncto pondere, nostris emolumentis potiora sint, tum propriae nobis utilitates, civium utilitatis causa, erunt deserendae. Ex quo evincitur, vitam adeo, si fuerit, ut singulorum civium ejusmodi bona, quae vitam aut aequiparent aut superent, in discrimine versentur, pro patria esse abjiciendam, reliquae quamvis utilitates ipsa contineantur.

Absit enim opinio eorum, qui in vita cujusque finem inesse bonorum adseverantes, nulla, si res in contentionem venerit, civium commoda vita cujusque superiora poni debere

contendant. Est certe virtus, et si quibus rebus egregie adjuvatur honestas, vitae usui longe longaque anteponenda: quia rerum natura corporis utilitates virtute instituit metiendas; quod ex primis initiis §. 2. positis magis adparet.

Jam vero ex numero eorum bonorum, in quibus conservandis potius, quam in vita tuenda singulis elaborandum sit, primum religio est, qua ommissa res humanae neque recte institui, neque ad stabilitatis et constantiae finem dirigi possunt: pro qua tuenda quis non bonus et vitae eligat aerumnas, et ipsam mortem voluntate occumbat. Hoc quidem illis Judaeorum sacerdotibus placebat, qui, quum a Syrorum natione sacrorum cultus, a divina perfectione non alienus et cum universa rep. conjunctissimus, everteretur, mortem obire, quam civium saluti, quae a conservata pendebat disciplina, deesse maluerunt. Deinde pro defendenda libertate et legitima reip. forma, laudabili vere consilio, delectu ac voluntate mortem suscipiemus. Nam quum patria in hoc discrimen adducta sit, quo ab injusto dominatore in servitutem redigatur, ut ea nec dignitatem suam a victorum injuria defendere, neque ingruentem morum corruptionem arcere, neque, ab hostium retardata imperio, incrementum ad humanitatem et ingenua studia capere possit: tum a magistratu confirmatis (cf. §. 10.) honesta mors vitae turpitudini anteponenda est. Hanc rationem placuisse Deciiis Romanis accepimus, qui in media arma ruerunt, pugnam nonnisi cum vita deposituri: ut libertatem civium maxime tuerentur, neque ipsi superbis victoribus servirent. Atque si magnas, modo ab honestate non alienas commoditates in rep. adferre queamus, non sit contra officium eas vel interitu nostro acquirere. Quocirca memorabile illud Curtii facinus atque fratrum Philaenorum.

Sed molestum est, quod hoc genus honesti quam maxime errori pateat. Nam quum multi civium causa mortem optatisse videantur, alia quadam sive vera, sive falsa ratione adducti ad hoc faciendum adgressi sunt. In rep. enim universa omnium salus et fortuna ex singulorum opibus et laude con-

C

sistit: ex quo, quod pro se quisque ad suam dignitatem augendam praeclare gessit, id facillime in communis utilitatis speciem evadit. Itaque multi, vel ira, vel avaritia, vel gloriae cupiditate incensi, rebus magnis maximeque utilibus gerendis, mortem occubuerunt; apud posteros publicam utilitatem spectasse crediti, ob magnum fructum, quem illa res ad patriae salutem adtulit. Quam tamen laudem non ferrent, si consiliorum suorum rationem patefacere voluissent. Ex quo intelligi debet, non vulgaris iudicii esse, quacunque in causa videre, utrum patriae caritas, an rerum suarum cura hominibus ad mortem pro patria suscipiendam stimulos injecerit.

Quae quum ita sint, iis satisfecisse videmur, quibus una et brevis argumentatio cum re praesenti conjuncta sufficiat: qui vero rerum varietate et copia delectantur, horum in gratiam adjiciendum est, gravissimos ex omnium temporum memoria philosophos, quum alia omnia tractarent, in eandem nobiscum convenisse sententiam. Ut ex Aristoteleis libris haec in nostram sententiam argumentandi elicitur ratio. Jam vero natura creatorum in eo cernitur, quod cujusque proprium est: quo detracto definit esse, quod erat, et non est idem, quamvis formae prioris similitudinem aliquam retineat. Atqui homo ex animantibus unus dictorum actionumque sentit convenientiam, atque virtutis gloria ducitur: hac ipsa humani generis indole satis declaratur, honestatis sensu nos antecellere belluis, eamque homini propriam esse. At contra motus adpetitionesque humano generi cum animalibus communia sunt, minimeque ipsius propria. Quare animi magnitudo nobis ante vitae usum ponenda erit.

Atque in hoc quidem loco S. S. ratione inventis maxime congruentem habemus. Quod primum elucet ex coll. Matt. 10, 37-40. Luc. 9, 25-27, ubi virtus universa significatur, atque ex I. Joh. 3, 16 genus humanum atque adeo patriam innuente. Deinde testes adsunt apostoli, quibus praesentissimum vitae periculum prae veritatis dissimulatione atque injustitia deligendum videbatur.

Vogels Compendium der Moral. S. 126.

Abt vom Tode für's Vaterland. S. 58. 116 — 118. 126.

Heeren Ideen über die Politik, den Verkehr und den Handel der vornehmsten Völker der alten Welt. 2 Th. 1 Abth. S. 60.

Memorable fratrum Mexicanorum facinus, imprimisque Petri Miccae, de quo cf. Novelle di Francesco Soave.

§. 8.

*De bellis gerundis.*

Ab his tanquam fontibus, si quid praeterea tribuendum patriae in officio sit, facile derivatur. In quo explicando antequam singularem operam ponamus, disputatio quaedam de bello et poenis suscipienda est: quam quidem materiam hoc genus officii potissimum habet, quam tractet. De bello autem philosophorum decretis hoc fere receptum est. Natura, quum actiones hominum partim iudicio recti et pravi, partim legibus populorum regi voluit, omnino violenta manu homines ab hominibus impugnari vetuit. Hac necessitate perculsi antiquissimis temporibus homines e vita vaga et incondita in legitimum reip. statum traducti sunt: quo in statu litigantium causae lege et iudicio decernerentur. Non item a bellis recedentes, aequo foedere instituto, et cautione facta, ne alia civitas alia existeret superior, in conditionem transierunt pacificam. Eam tamen et justam et necessariam esse, quum ex universa natura, tum ex collata temporum historia satis adparet. Quamquam enim potentissimi dominatores, modica, sed justa possessione non expleti, in amplificando imperio occupati fuerunt: tamen hoc non potuerunt efficere, ut populorum segregationem impedirent, et devastando potius, quam foederum aequitate constituenda, pacem omnium inter omnes componerent. Siquidem ad paciscendi rationem ipsa deducit natura, religionis maxime et sermonis differitate quaecunque suppressendi generis humani consilia eludens. Ex quo sperandum est, quum civitates non solum intrinsecus ad iustitiae regulam

sint conformatae, sed etiam extrinsecus aequo inter se invicem conjunctae foedere, tum bellorum aliquando finem inventum iri, hominesque, ut prima vice e statu naturae, altera, conatu majore, bellorum commune malum a salute sua depulsaturos esse. Quoniam vero ad hunc nondum justitiae finem genus humanum pervenit, ubi in sola actione insistendum sit, civitatesque, ut nunc est, a civitatibus insidias patiuntur: ex eadem lege naturae, quae quidem a vita nostra vitaeque commoditatibus instans periculum depellere jubet (§. 3. fin.) vim illatam tum a nobismet ipsis, tum ab aliis arctiore societatis vinculo nobiscum conjunctis propulsare licebit. Igitur, si civitas a civitate violatur, et injuria adficitur, vel imminet bella a magistratibus praecoccupanda, vel illata jam pro virili parte reprimenda sunt. Civibus autem fas est, id si iis, qui remp. regunt, videbitur, nomen ad militiam dare, atque proelium committentes, vulnera et interitum hostibus inferre. Sed tamen exceptum sit, ne temere et laeso populorum jure bella gerantur. Itaque debellandi ratio nisi graviori de causa suscipienda non est, faciendumque, ut rebus repetitis et indicto bello, non antea, ad extrema perveniatur. Nam si quid aliud, quam pax quaesita dimicationibus propositum sit, accusabiles sunt: crimine hoc majore, quum id genus disceptandi in multos perniciosum est. Neque vero sic bella gerenda sunt, ut in gratiam reditus prohibeatur, quod tum fit, quum sicariorum veneficorumque opera est, atque exitiabile genus armorum adhibetur: quo casu cum interitu concertantium bella ad finem perducuntur. Denique nisi in hostes armatos animadvertendum non est: quia civitati, non singulis legum imperio obsequentibus damnum paratur. Haec praecepta quum teneantur, nihil erit, quod in bellis gerendis reprehensione dignum sit, etsi ea natura sua in tristissimis malis numeranda sunt. Falso enim nonnulli disputant, tantum abesse, ut naturae bella repugnent, ut potius varios usus in vitam adferant. Quod enim contendunt, omissis bellis rem nullam inveniri, quae fortitudinis igniculos in hominum animis exsuscitet: id ita fal-

sum est, ut proelia commissa nihil magnopere ad augendam animorum firmitatem et constantiam prodesse nobis adseverare posse videamur. Tot enim latera hominis togati patent, quae feriat fortuna, quot belligerantis: mors, paupertas, fames, desudationes tam in hujus quam in illius vitam conveniunt: atque si ista mala ob crebritatem suam majorem in militantibus animi magnitudinem efficere possunt: ad idem in otiosis perficiendum diuturnitate sua valebunt. Immo etiam major animi altitudo rerumque humanarum despicientia adhibenda iis est, qui togati in rebus domesticis versantur, quam militaribus viris: multi enim reperti sunt, qui maximis rebus bello gestis, ignavi erant ad illos casus ferendos, quos vita domestica plurimos adferre solet. Neque iisdem concedendum est dicentibus: nonnullos populos sic multitudine abundasse, ut his necessum fuerit, expulsis cultoribus, in alienas possessiones immigrare: qui in ejusdem rei fidem historias commemorant. Apparet enim ex ratione physica, non plures ab unaquaque regione capi cultores, quam quot justum numerum efficiant: atque si fuerit, ut nimis multi quodam tempore nascantur, horum abundantiam vel morbis frequentia hominum propagatis, vel fame, vel insequenti corporum sterilitate ad certum numerum redigi. Sic demonstrasse nobis videtur, non sine necessitate proposita bellum pro patria suscipiendum esse, quibusque cautionibus juste bella gerantur.

Ad hunc locum conferri velim Matt. 10, 54, ubi Servator sua ipsius sententia confirmat, religionem Christianam, atque adeo honeste vivendi rationem, in his terris constituendam esse, vel si gentes contra illam armatae exoriantur, et multum sanguinis pro illa aut oppugnanda aut defendenda effusum sit.

Kant zum ewigen Frieden. S. 24—29. 47 u. f. w. 58 u. f. w.  
 Garve's Anmerkungen zu Cic. Büchern von den Pflichten. I B.  
 S. 88. 98.

Andri's Blicke aus der Zeit in die Zeit. S. 207 u. f. w.  
 Morceaux choisis de Buffon. p. 226—229.



*De poenis.*

Sequitur, ut poenarum naturam aperiamus, his autem officiis, quae patriae tribuenda inde ducantur, singularem operam dicemus.

Jam primum descriptam reip. formam hominibus necessariam esse, ex §. 4. cognoscitur, neque est, ut ibi disputatis quidquam, amplificandi causa, adjiciamus.

Ex eadem generis humani ad colendam honestatem justitiamque infirmitate, quae reip. primitus instituendae causa fuit, hoc quoque efficitur, viam ipsius tuendae ingrediendam esse. Quae tamen, nisi ad poenarum inventionem, alio non patet. Ex quo intelligitur, puniendi rationem, quae tum in legum civilium decretis, tum in magistratuum munere cernitur, plane ex officio, et eandem ob causam ex jure esse. Quod ita perspicuum est, ut nemo forsitan ea audacia sit, qui in civitate poenam omnino non adhibendam contenderit: sunt tamen, qui vitae supplicium e medio tollendum postulent. Quorum error his, quae §. 7. sunt disputata, coargendus est. Siquidem honestas et justitia, minimeque vita cujusque humanae naturae tanquam finis proposita est.

Sic quoque adparet, punitionem momento dijudicandam esse \*): ut singulis delictis haec poena constituatur, quae ad homines a scelere deterrendos sufficiat. Kantii enim de talione sententia, doctorum virorum adsensu non comprobata, naturae principiis minime convenit. Quomodo autem poenae, singulis delictis quasi impedimentum oppositae, se habere debeant, ut in iis universae naturae pareatur, et quae ad hanc disciplinam stabiliendam pertineant: haec tota jurisconsultorum disputatio est.

Ex quo legislatoris esse invenitur, poenam non constituere majorem quam pro delicto, atque gravissimis criminibus,

si leni animadversione caveri possunt, grave supplicium non proponere. Id enim reverentia erga cives adhibenda flagitat. Magistratibus autem, nullo personae respectu habito, aequali modo jura in litigantes distribuenda sunt. Sin fuerit, ut, mutatis temporibus, immutata puniendi ratione opus sit, adtento ad eam rem animo, quae maxime e rep. sint, ea deligenda putabunt. Civibus autem faciendum est, ut legistorum decreta religiose conservent: neque, si quid contra justitiam et leges civitatis commiserint, poenam ita debitam nulloque jure refugiendam reip. dare detrectent.

\*) *Quam poenarum vim et naturam, notabili idiomate, Arabes sic expresserunt, ut عَذَابٌ R. عَذْبٌ eandem poenam vocarent.*

Kant's Rechtslehre. S. 195 u. f. w.

Beccaria del delitti e delle pene.

Contrat social p. 95. 96.

Borrede zu Michaelis Mosaischem Recht S. 58. u. f. w. 17.

### §. 10.

#### *De officio erga magistratum.*

Magistratus proprio nomine adpellantur, qui legum personam gerunt, et cum his conjuncta praescribunt. Qui etsi non pari splendore ac potestate in rep. administranda versantur, tamen his omnibus, ut communis felicitatis causa remp. gerentibus, plena et obedientia et reverentia praestanda est. Quare, si his inciderit, ut apud judices sit agendum, neque leviori de causa in judicium descendant, quod abesset a verecundia; neque, dicta sententia, contrarium sibi faciendum statuunt (§. 9.); neque, judicibus si visum fuerit ortam dissensionem componere, obstinati in litigandi animo permanant. Deinde ad arma capienda, magistratu jubente, pa-

rati sint (§. 8.) neque bellum suo arbitrio aut praeoccupari, aut prorogari, aut omitti debere statuunt: quia magistratum est judicare, quae bella necessario et legitime gerantur: in hominis autem privati conditionem et fortunam tale iudicium minime cadit.

Itaque exagitanda illorum improbitas est, qui, rerum novarum studio incensi, in eo occupati fuerunt, ut, labefacta rectorum civitatis potentia, eos magistratus, vel eam reip. formam, quae ipsis placuerit, in pristinae locum subjicerent.

Quo contra disputatur a quibusdam: si majores certam reip. formam, pacto quidem interposito, constituerunt, illis fidem datam fallere nefas fuisse: posteris autem meliora instituentibus, tale consilium vitio minime vertendum esse, ut qui ad ejusdem pactionis societatem se non dederint. Quae tota argumentatio ad hoc probandum, quod illa probari contendunt, inepta est. Neque enim pactione et conventu ad obedientiam magistratui praestandam coguntur cives, sed universa natura, quae tam magistratus, quam legitimam reip. formam esse voluit, necessitate non veteribus illis, quam recentiori aevo nostris hominibus majore. Ex quo, si temere quis magistratus violari aut abrogari posse statuat: nihil obstaret, quo minus, personae auctoritate detracta, muneris dignitas atque adeo universa resp. concideret: in vulgus enim notum est, multitudinem nesciam esse personae a re disjungendae.

Nihilne igitur ex constituta reip. forma mutandem iudicamus? Absit ista quidem opinio: sed tamen ita remp. in meliorem statum poscimus redigendam, ut ne magistratus dignitas ex ulla parte imminuatur.

Duplex autem hujus rationis via est: quarum una ad singulos cives a vitiositate revocandos, altera ad universam remp. bene constituendam deducit. E quibus haec difficilior, illa multo tritior est. Libertatis enim fructus potissimum ex

civium integritate et sanctimonia nascuntur: quoniam magistratibus perinde atque hominibus privatis genius seculi multa persuadet: laudabilis ille honesta et ad communem utilitatem spectantia, corruptus autem et ab omni parte accusabilis, male incoepa, progressu suo perniciosus: legibus autem probatissimis, optimisque civitatum rectoribus tantum in cives efficaciae est, quantum in his ipsis justitiae colendae est voluntatis. Sed quum fieri possit, ut haec quidem ratio ad remp. bene constituendam minus efficax sit: illis, qui novandi magistratus cupiditate ducuntur, hae maxime cautiones tenendae sunt. Jam primum sic populus adficiendus est, ut res novo more institutas facile et ferat et capiat. Accedat oportet, ut nihil ante moliantur, quam tempus illud, in quod cum principe sit aliisve magistratibus pactum, effluxerit, vel alia quaedam legitime novandi occasio oblata sit. Mali namque principis imperium reip. magis convenit, quam magistratus infracta auctoritas: qui et ipse, si opes ejus firmatae fuerint, a populo erit ferendus. Quod etiam Jesu Christi exemplo monemur, qui, quum Romani, nullo jure, in patriam ipsius irruissent, audiendum illis esse, praecepit. (Matt. 22, 21.)

Cum his ita positis plane conveniunt S. S. plus uno loco effata, ut Rom. 13, 1. 2. Tit. 3, 1. Neque verum est, apostolos, si Ananiam, ejusque foeminam, cui Sapphirae nomen, morte sustulerunt, hoc fecisse suum quoddam institutum sequentes, neglecta magistratuum auctoritate. Res enim ita se habet. Apostolos, quum disciplinam Christianam in disjunctissimas gentes propagassent, duplicem Christianorum communitatem efficere oportebat: unam, qua verae fidei cultores cum suis conjungerentur civibus, alteram, quae ad ejusdem ecclesiae pertineret societatem. Quarum illa ad idolatriam vitaeque turpitudinem ducebat, haec innocentiae morumque sanctimoniae plenissima erat. In hoc rerum statu, si pagani homines sibi magis errare, quam alienum ad virtutem colendam impetum retardare voluissent, nihil obstabat, quo minus Christiani patriae studia una cum disciplinae decretis censervarent.

D

Quum vero illi ad eos exterminandos exorirentur, quorum instituta tantum a suis moribus abhorrent: tum Christiani homines, dissensione ab invidissimis civibus facta, in certam remp., per orbem terrarum latissime disseminatam, se contulerunt, plus Deotribuendum esse rati, quam hominibus quocunque societatis vinculo secum conjunctis (§. 5. fin.) Quem statum ut tuerentur, pacto et conventu opus erat, quo jura cujusque in quemque definirentur. Ut enim nulla hominum societas, omissis legibus, temporis diuturnitate consistere potest: ita ne Christianorum quidem societas, etiamsi inter graves et bonos fuit, suis legibus carere debebat. Itaque, quum deterrenda universa temeritas erat, tum praesertim improbitas eorum, qui integritatis et innocentiae speciem prae se ferentes, Christianae societatis jura violabant. Cujus quidem rei exemplum tanta severitate ab Apostolo in Ananiam et Sapphiram, fraudis convictos, editum esse, nemo quisquam mirabitur, qui et poenarum naturam (§. 9.) et temporum rationem considerabit. Neque vero hoc ita Petrum decrevisse, quasi civitatum legibus omnino obedientiam praestandam non esse existimarit, abunde Servatoris et Pauli apostoli sententiae, supra a nobis adjunctae, demonstrant. Minimeque inde probari potest eorum opinio, qui doctorum ecclesiae coetum non subjectum esse civitatum legibus, sed sua bona, sua jura habere contendant, quae impugnari rationem disciplinae Christianae prohibere.

Reinhard's Moral Th. 3. S. 517. 524. u. f. w.

J. M. Sailer's Handbuch der Christlichen Moral. Th. 3. S. 9. 17 — 39.

Hobbes de rep. Christiana. p. 88.

Xenophontis memorabilia Socratis IV, 4, 15. Cic. Off. I, 25, 2.

§. 11.

*De patria injuriam nobis faciente.*

Ex quo dubitandum non est, quin his, qui reipersonam gerunt, omnino obedientia praestanda sit. Hoc ipsum

tum quoque factu necessarium esse, quum patriae decreta ob iniquitatem suam gravia sint ad ferendum, operae pretium est, deinceps pluribus demonstrare. Sed latius erit evagandum, siquidem principia ab initio posita, non illis exemplis firmata sunt, quibus consideratis res pateat.

Jam primum ira utiliter hominum generi addita est. Servit enim impetu ad recta facinora capiendo: neque ulla subest causa, quare omnino rejiciatur. Sed tamen cavendum est ne fines et modum transeat, faciendumque ut rationi pareat. Neque est, quod adsentiamur illis, qui iracundiam e medio tollendam statuunt, et hanc quidem sententiam Servatoris effato confirmare nitantur. Nam quod ipse partem eripienti totum tradere praecipit, hoc, ni omnia fallunt, in generosiorum animi idolem facile de suo jure cedentis dictum est (cf. Vogel's Compendium der Moral S. 198.) Honestatem vero cum animi contentione tuendam, et Christus et apostoli, sermonibus a se habitis, quantum satis adfirmant. Igitur hoc certum sit, non cujusque generis injurias patienter esse ferendas.

Sed ira adhibenda multas cautiones habet, inprimisque illam, ne erga beneficos, nostra ipsorum salute defendenda, gravius quid consulatur. Ponitur enim in referendae gratiae loco numeroque, ut de jure nostro optimo, in bene meriti gratiam, decedamus. Quod quomodo sit, ex his magis emerget.

Jam supra dictum est, hominem homini a natura ad mutuam caritatem conjunctum esse. Quae quum omnium animis indita sit, maxime explendescit liberalitate eorum, qui beneficia in alienos conferunt. Benignitate autem non commoveri, neque eadem ad gratiae referendae studium excitari, humanitatem omnino est repellentis. Immo vero temporis aeternitate valere debet beneficii accepti memoria: quia non ipsum benefactum, sed bene nos adficientis voluntas et animus, beneficiis invicem tribuendis, exaequandus est. Duo

omnino sunt, quae in beneficiorum metienda magnitudine considerari oportet: unum animus ad opem nobis ferendam paratus: alterum commodi in nos allati magnitudo, ex quo quidem ad bene meriti animum fit conjectura.

Atqui patriae summa quaevis deberi fatemur (§. 4.): non solum de vita et possessionibus, commodo ipsius id postulante, recedendum est; verum etiam, stomachum devorando, aeternam beneficii a patria accepti servabimus memoriam. Itaque injusta erga nos patria vel patienter ferenda, vel eidem, si major, quam ut tolerari possit, videatur injuria, cedendum sit, nulla ultionis ratione habita. Nec vero ab re fuerit, consiliorum honestate hominum animis proposita, tum demum e patria terra discedere. Atque haec quidem sentiendi ratio semper maximo animo placuit viris. Exemplis referta est antiquitas eorum, qui, quum patriam ab interitu liberassent, maximarumque ejus utilitatum fuissent auctores, tamen odio et invidiae civium cedendum esse judicarunt. Cujus quidem rei praestantissimum exemplum, ad quod ipsi vitam nostram conformemus, a Jesu Christo nobis expositum est. Is, quum acerbissima mala, pro illis malis acerbissime sibi paratis, in suorum capita posset cumulare: noluit, sed aequius esse censebat, gravissimarum civium injuriarum immemorem esse, quam manum adferre parenti et altrici patriae.

Bogel's Compendium der Moral S. 262.

Franz Hutcheson vom moralischen Guten und Uebel S. 232.

Kant's Tugendlehre S. 127.

Platonis Crito c. 10.

### §. 12.

#### *De patria prava jubente.*

Non eadem ratio est, quum patria a nobis injusta, neque cum lege divina humanaque congruentia fieri postulat. Nam quum pacto sociali quaedam jura, i. e. commoda ex con-

ciliata civium societate singulis debita, adquisissem, de his quidem in gratia patriae referenda possum decedere: honestatem, civium utilitatis causa, salva natura, non possum relinquere. Non enim ipsa res est a me quaesita, quam quidem in alienos liceat transferre: sed lege naturali habemus sancitam, ut nullum de ea arbitrium sit.

Primum igitur parendum non erit, si patria me servitutem servire jubeat. Nam si quis, veritus, ne magna corporis mala susciperet, in servitutem transgrediatur, meliorem sui naturam reprimat, planeque ad potentiorum voluntatem convertitur, quorum quidem imperia in suae voluntatis loco collocat. Atqui nihil tam necessarium est, quam ut quisque naturam sibi insitam retineat (§. 2.) ad alienam voluntatem qui convertitur, non sine turpitudinis labe, ipsam humanitatem exuit, et quum ipse se regere deberet, ad rei cujusdam similitudinem effingitur, quae regere se non potest. Igitur libertatem (est autem illa facultas quaedam cum ratione volendi) naturam servantes, ne patriae quidem gratia deponere possumus.

Neque vero, si ad fraudem et mendacium a patria provocamur, faciendum sit. Nam quum manceps ille se pro eo gerat, qui invitus naturae humanae dignitate careat, iste dissimulator et fraudulentus ultro personam ejus induit, qui, humanitate abjecta, ne rem quidem varios usus praebentem, sed simulacrum rerumque speciem referre cupit: ob eamque causam se non observari, et cum hominum reverentia excipi adsentitur. Atque in eo turpissimus est: quia persentiscere et intelligere potest, quae sit in humana natura dignitas. Ad hujusmodi naturae humanae alienationem, ne patriae quidem causa adgrediemur. Itaque ad veneficia, proditiones, sicariorum operam, patria quidem postulante, minime nos accommodabimus.

Postremo ne patria quidem jussi, aut ejus amplificandi studio incitati, violentiam in noxa carentibus sive civibus, sive



externis admittemus. Nam quum mea ipsius jura patriae largiri possim: in aliorum jura, legitima causa quum subsit nulla, invadere, minime cum reverentia erga homines adhibenda convenit. Itaque rectissime Socrates, populo postulante, recusavit, ne novem illos belli duces, invitis legibus, condemnaret.

Hinc illud, quod supra in obedientiam magistratibus praestandam disputatum est, magis etiam confirmatur. Nam si cives ad quodcunque ex jure divino et humano faciendum parati erunt, certissime bonis magistratibus satisficient. Magistratus autem civibus mirifice placebunt, si privatus nemo reperiat, qui promptam ad vilia ministeria operam polliceatur. In quo tamen cautio adhibenda est, ne, injustitiae fuga, his in rebus, quae ab hominum privatorum absunt mediocritate et judicio, magistratibus in obedientia deficiamus. Ab iis autem, quibus horridulum est minacem tyranni vultum aspiciere, hoc Servatoris dictum bene perpendi velim: *non metuendi sunt, qui corpus quidem perdere, sed animo nocere non possunt.* Namque civium saluti non minus nimia facilitate, quam rerum novarum studio officitur.

Kant's Tugendlehre S. 83. 93.

Bogel's Compendium der Moral S. 231. 232.

§. 15.

*Num patriae fas sit certum divinitatis cultum instituere.*

Deinceps illa quaestio exoritur, utrum, si patria certum numinis supremi cultum sancivit, ab hujusmodi instituto migrandi arbitrium suppetat, an in receptis a civitate sacris sit adquiescendum. Atque in eam quidem partem haec praeci- pienda videntur.

Quoniam nullum seculum tam excors et mente captum fuit, quin pectoris sensu aut naturae contemplatione in eam

sententiam esset adductum, ut Deum et esse et justissimo imperio hanc rerum universitatem moderare putarit: in iudicio autem Deum testem adhibentes, severissimo iudicio hominum facinora exacturum, vera se proferre, certis non adparentibus indiciis, adfirmant necesse sit: idcirco reip. personam gerentibus fas est, et divinum cultum caerimoniasque instituere, et ea a civibus obiri, legibus constitutis, jubere. Universe quidem, solennia a magistratu adornari oportere, dubitationem non habet: hoc consultare liceret, num certum rei divinae genus praescribere, per muneris sui vim et potestatem, remp. moderantes deceat. Non videtur. Nam quum officia hominibus tribuenda, illis praeponderentur erga Deum officiis, ex quibus intimis religio est; de suo cujusque rerum divinarum studio magistratibus decernere universe non competit (cf. §. 3. 7.) Sed tamen legibus constitutis, illum circumscribi liceret divinitatis cultum, qui a ratione et concessa veritate aberraret: quod genus etiam in remp. est perniciosum. Ex quo haec fere de sacrorum procuratione sunt tenenda.

Primum, si quis fidei suae rationem, et argumenta, quibus ea nitatur, apud iudices explicarit, nec quidquam sit repertum, in quo perspicui erroris vincatur, huic concedendum sit, ut eam Dei colendi viam sequatur, quam ipse divina perfectione dignissimam esse iudicet. Atque cum aliis idem sentientibus institutum suum sequetur: quia rectum animi iudicium communicando et mutuando non minimum adjuvatur. Eandemque ob causam animi sententiam libere prae se feret, vel scribendo, vel sermocinando. Atqui illa cum ratione sentiendi et volendi libertas, altior quaedam est, quam ut humano imperio possit coerceri: impediendus non erit, quo minus ad aliam sodalitatem Deum colentium desciscens idem faciat. Sic quoque adparet, patriae aut nostrae utilitatis causa religionem mutare vitiosissimum esse: quod quidem vitiositatis genus in fraudis et mendacii loco habendum est (cf. §. 15.) Hoc suum jus etiam tum tenebit, quum a veritate non aberrans ea pronuntiabit, quae ad reip. formam vel a principio

vitiosam, vel temporis progressu obsoletam, faciant evertendam. Nam quum vera religio reip. recte institutae repugnare non possit: quia utraque ad Dei consiliũ in his terris perficiendum deducit: illa, quae Deo tribui adparet, his ab hominibus perverse institutis praeferenda esse, ex modo dictis elucet. Itaque quum Judaeis ea placuerit reip. forma, qua Deum, per pontificem maximum decreta sua aperientem, civitatis rectorem instituerant: hanc quidem Jesus, rectissimam Dei colendi viam demonstrans, non dubitabat evertere: propterea, quod veritatis cognitio legum civilium conservationi esset anteponenda. In quo si partes quaedam rei divinae deditorum, ceteris civibus multitudine anteferentes, praerogativam sibi aliquam vindicarunt, atque principem, imperium auspicantem, jurejurando obstringere sunt conati, ista ut sibi jura tueatur: hactenus ejus rei fidem dabit, qua perversi pauciorum mores vim publice adhibendam subigant: jus enim pacto et conventu quaesitum, repugnante erga Deum officio, statim concidit, siquidem jura in singulos distribuenda ex illis sunt officiis, quae civibus maxime debeantur (Bogel's Compendium der Moral S. 128.) Itaque illi, qui inexpiabile odium in dissentientes ceperunt, multitudine si impares sint, ad eo usque lege civili coerceantur, ut sententiam suam non iniquam retineant, civibus noxae esse nequeant. Quod item in malevolos illos, multitudine sua anteferentes, statuendum erit.

Deinde, si qui eam animo imbiberunt sententiam, quae vel delata a justo existimatore comprobari nequeat, vel in occulto gliscens contagione malorum corrumpat quam plurimos: lege civili aut cohibendi, aut, si crimina adfuerint, supplicio sunt adficiendi. E quibus unum (alterum dubitationem non habet) faciendum propterea est, quod, si quis ineptam sibi Dei imaginem finxerit, impar sit ad jusjurandum recte faciendum. Ut, si Deum ponat vitiis hominum gaudentem, vel res humanas nihil curantem, vel supremo judicio de hominum actionibus non judicaturum: idcirco ad jusjurandum recte faciendum aptus non erit.

Privati autem homines minime sint in alienam de natura Dei ejusque colendi modo sententiam curiosi: de qua nemini, nisi Deo potissimum, deinceps etiam magistratibus ratio est reddenda. Omninoque cavendum est, ne sententiarum opinionumque differitas civium inter cives discordiarum causa sit.

Quam vero officii descriptionem cum disciplina Christiana congruere, summum ipsius Christi exemplum potest docere. Jesus enim, nolente synedrio, et suam rationem sequutus est, et alios in easdem partes traduxit. Nec tamen is erat, qui aliorum sententiam in odium revocaret et invidiam, sed pari humanitatis jure complectebatur et Judaeos et Samaritanorum populum.

In quam partem copiosissime disputatum est a Reinhardo in illo libro, quo disciplina moralis descripta est. Tom. III. p. 587-607.

#### §. 14.

#### *De usibus in patriam conferendis.*

His ita expositis firma et stabilia praecepta in utilitatem patriae adferendam dari poterunt.

Intellectum quum sit, sanctissima patriae jura esse, res omnes gerendas, quamvis leviori sint momento, ad patriam referemus, ad ejusque commoditatem metiemur. Patriam vero labore et opera adjuvabimus: quod eo melius faciemus, quo majorem artium et litterarum facultatem erimus consequuti. In his vero operam dabimus, ut religio, sine qua nihil in rebus humanis recte instituitur, ad vitam hominum emendandam, quam feracissima sit; itemque ut artes humanitatis et varia artificia, quibus vita ornatur et exhilaratur, plurimorum studiis vigeant. Itemque si qui ad remp. gerendam se adplicabunt, non eos habebunt inimicos, qui in patria adjuvanda secum aemulabuntur, sed potius illos, qui patriae usum relinquentes, suam potestatem suasque copias quaerant: omninoque ab omni honorum et gloriae cupiditate aberunt.

E

Atque liberis erudiendis docendisque singularem operam dabunt parentes: quia in illis spes futurae civium felicitatis posita est. Opulentiores autem vel in patriae temporibus pecunias collocabunt, quibus aerarii inopiae subveniant, vel in opera publice exstruenda sumtus impendent, vel singularibus civium necessitatibus providebunt. Sin fuerit, ut vel patria quis expulsus, vel delectu et voluntate in alienas terras ductus sit, si re et factis prodesse non poterit, grata saltem memoria eam habebit. Quodsi utilitates adferre veteribus civibus licebit, id hactenus liberaliter faciet, qua per ejus civitatis, in quam immigraverit, leges et commodum fieri poterit.

Reinhard's Moral Th. 3. S. 543.  
Cic. Off. I. 25, 7.

§. 15.

*Ut quisque maxime religionis Christianae praecepta consequatur,  
ita optimum civem esse.*

De ceteris quidem ita disputavimus, ut optimum quemque civem religiosissime in disciplina Christiana versari inventum sit: in hoc vero male me habet Roussovius, qui, quum Christianis id quidem concedit, ut maximo animo mortem occumbant, fortes et bellis gerendis idoneos esse negat: quippe qui ex praeceptis disciplinae suae, majorem vitae aeternae quam rerumpublicarum habeant rationem. Ad hoc quidem addit: fortitudinem ex libero reip. statu existere, civiumque et communi et ardenti reip. augendae studio. Quam rationem ut argumentis in contrarium proferendis dissolvam, primum de fortitudinis natura pauca adjiciam: deinde, qualis illa tum Christianorum, tum populorum idolatrarum, libera rep. utentium, fortitudo sit, ex ingenio utrorumque explicabo. Quaelibet ergo pugnandi cupido vel coeco impetu ruit, vel ratione ad certum honestatis finem dirigitur. Illud quum fit,

*furor* est: quo quidem nihil magnum et longinquo tempore duraturum efficiatur: quoniam nec rerum finem et modum perspectum habet, neque ad eum persequendum recta via procedit. Haec autem, *fortitudinem* vocemus, multo aptior est ad res efficiendas magnas easque temporis diurnitate valituras: quia tanquam successiones rerum videt, eaque eligit, quae cum natura sunt conjunctissima. Datur quidem tertium, his extremis quasi medium interpositum, quum civitatum rectores, nulla neque honestatis, neque cupiditatis ratione habita, solam *utilitatem* observaverunt: quae tamen ratio domi militiaeque rarissimis temporibus fuit in non multis: vulgo enim homines vel libidinibus vel ratione honesti ad res gerendas impelli solent, quum utilitatis observatio acutioris iudicii sit, quam quae in multos cadere possit. Quibus ita positis, deinceps explicandum est, quatenus illa, quam diximus, fortitudo in hominem Christianum conveniat. In Christianis igitur pugnandi cupido tot accuratis et egregiis disciplinae suae praeceptis ad justum modum temperatur, ut effrenata licentia minime exsulet. Ad haec gravissimae adsunt causae, quibus illam animi magnitudinem, quae vulgo entusiasmus vocatur, concipiant: defendenda scilicet religio et libertas, terror a carissimorum capitum salute propulsandus. Sed contra in populis liberis nondum doctrina Christiana imbutis, rerum novarum studia omnem hominum morem proeliandi cupiditate inflammare solent, neque illam rationis fine contineri patiuntur. Nam si gloriae consequendae, imperii autem prolatandi concitantur studio, religione parum moderantur: quia legis naturalis vitiosum auctorem fingentes ad vitiositatem prolabi vel ipsos necesse sit. Itaque modo in furorem, modo in exanimationem torquentur. Ex quo perspicuum est, in hominibus vere Christianis fortitudinem absolutam esse; in paganis illis vel praestantissima reip. forma utentibus, pugnandi cupidinem modo in furorem, modo in trepidationem converti. Quod vero ad aeternae felicitatis spem cogitationemque doctrina Christiana solatium inde miseriarum et

---

aequabilitatem capi hortatur, nec vero a rebus gerendis averti. Neque ex historiis quidquam pro Roussovii sententia elici potest: quia tot summae Christianorum fortitudinis exempla, praesertim ex his bellis pro defendenda religione gestis excitare licet: quot ex populorum liberorum, qui ante Christum natum floruerunt conquiri possunt historia.

Dassler Sammlungen Th. I. S. 124.

Garce's Anmerkungen zu dem 3ten Buch des Cic. von den Pflichten. S. 218.

Contract social p. 258 - 263.

Platonis Laches.

---







mines suscipiendae et pietati aliquid tribuet, privato  
 stis prius subveniendum iudicabit, quam patriae c  
 Facultates enim et copiae non tam a singulis in  
 redundant, quam a civitate in singulos. Qua flore  
 singularibus civium necessitatibus prospicitur: ma  
 constituta, quamvis maximae singulorum opes di  
 Ex quo elucet, patriae plus tribuendum esse, quam  
 et amicorum utilitatibus. S. nobilissimum Brut  
 factum esse invenitur, qui in reip. integritas  
 et legum efficacia, filio in opprobrium trahi, e  
 triam everti maluit. Intervenit: offic  
 patriam majus sit. animum officio,  
 In quo non d. s hominum  
 ex quo tan. lebritates  
 runt, e. am illa  
 cont. com  
 xi  
 pe  
 as, illac  
 inserunt His  
 Americanos e  
 ores facultates et  
 est, mutatis temporib  
 officium, ne. em. Nam quum leve co  
 universo hom. possis parare, ex quo  
 incommodum pa. aut arctiore necessitudinis vinc  
 conjunctis eveniat, non sit contra officium majus ant  
 nori. Itemque si exiguas quasdam utilitates, maxim  
 sariorum detrimento, in patriam possis conferre, ni  
 intercedat, quo minus parentum et amicorum commo  
 praeponas incommodis. Siquidem reverentia erga s  
 manum adhibenda, (cf. §. 12.) illa, quae in officioru

